ORATIO

DE LAUDIBUS ROMANAE URBIS ROMAE HABITA IN COMITIIS GENERALIB. FRATRUM SERVORUM.

A F. Prospero Rossetto Florentino in sacra Theologia Magistro, & in conuentu Patauij Accademia Regente.





FLORENTIAE.
Apud Bartholomæum Sermartellium.
MDLXXXII.



MO
REVERENDIS. P. IACOBO TAVANTHIO FLORENTINO.

Sapientiſsimo in Almo Piſarum Gymnaſio Theologo, ac Seruitanæ Relligionis, olim Præfecto Generali Ampliſsimo.


FRATER PROSPER ROSSETTVS. S. P. D.



I Iſthmi, offerebatur ſoli radiantium Cœli ſyderum maximo ac fulgentiſsimo, formica animalium omnium minimum, ac viliſsimum; quod exiguum, & humile munus, pulcherrimus, ac generoſus Apollo non modò non aſpernabatur, ſed etiam ſuauiſsime recipiebat. quid mirum (Reuerendiſsime P.) ſi hæc, formicæ inſtar, exilis & anguſta oratio à me tibi Seruitanæ Reip. ſoli micantiſsimo conſecratur? quam

A 2 ſanè

ſanè tenuem ac ſubmiſſam oratiunculam, & perhumaniter accipias velim, & beniгniſsimè legas, vt ſicuti virtute maximus es ac ſplendidiſsimus, ita clementia humaniſsimus ſis ac benigniſsimus. Vale Florentiæ octauo Idus Iulii. M D LXXXII.



ORATIO

DE LAVDIBVS ROMANAE VRBIS ROMAE HABITA IN COMITIIS GENERALIB.

FRATRVM SERVORVM.

A F. Prospero Rossetto Florentino in sacra Theologia Magistro, & in conuentu Patauij Accademiæ Regente.



ROMA, in tuis, hodierno die, laudibus recensendis, in tuis mirificis, æternis, ac propè diuinis encomijs extollẽdis, quę (instar lucidissimi Ariadnæ Syderis,) tot radiantibus redimita coronis, tùm excelsa Imperij maiestate, tùm cœlesti Relligionis sanctitate, toto terrarum orbe præfulges, & admirabili Ciceronis tui Eloquentia, in illam dignissimè efferendam, & diuino ipsius Apostoli Paulli spiritu, in hanc altissimè celebrandam mihi opus esset, ea enim est Imperij tui maiestas, is tuæ Relligionis splendor, vt & ad claritatem, nihil illustrius, & ad maiestatem nihil excelsius esse possit, hinc Saluator Clementissimus Christus, illinc acerrimus ac præstantissimus Romulus hinc vigilantissimus Petrus, illinc clauiger Ianus, hinc tot sanctissimi Heroes, illinc tot Augustissimi Reges, hinc tot gloriosissimi Patres, illinc tot clarissimi Consules, hinc tot fortissimi Martyres, illinc tot inuictissimi Imperatores, hinc tot castissimæ Virgines, illinc tot pudicæ Mulieres, hinc denique Ecclesię, sanctitas, auctoritas, & æternitas, illinc tuæ Vrbis nobilitas, potestas, & antiquitas, mihi sese hodie certatim concelebranda

da offerunt; quo fit, vt cum considerem quantus honor huic tam Illustri Imperio, quantaue reuerentia huic tam sacrosanctæ Ecclesiæ debeatur, non possim ego propriæ indignitatis & imperitiæ conscius non vereri, ne à vobis audax existimer, & impudens, etenim ita graue, ac infirmis viribus meis sic longè impar onus suscepi, vt longæuus ille Gigas fortissimus Atlas non ita onerosam validissimis suis humeris sustineat molem, frangerer equidem, ac in ipso orationis meæ quasi vestibulo conciderē, nisi & in hac Romæ clementissima Vrbe, quæ gratiarum ac benignitatis fons est vberrimus, orationem haberem, & in his præsertim sacratissimis, Pentecostes diebus, quibus ipse Dei spiritus, repentino sonitu super discipulos venit, ac foris linguis igneis apparentibus, intus ardentissimo ipsorum corda inflammauit amore, eosque multiplici sermonum vbertate, ac venustate repleuit.

Tu sancte spiritus, ô Pater, ô fili, ô spiritus per quem tot eximia huic Romanô Imperio beneficia, tot gratię, tot splendores, tot ornamenta concessa fuere, & sine quo, micantissimum huius Ecclesiæ solium funditus rueret, ac dilaberetur, tu æterne, ac immortalis Deus, caliginosas ingenij mei tenebras expelle, mentem paulisper illustra, & calculo tuæ charitatis ignito, os, linguam & labia mea deterge, vt & Imperij huius celsitudinem, pro dignitate extollere, & huius sacratissimæ Relligionis sanctitatem pręclarissimè efferre possim.

Ipsius igitur præpotentis Dei auxilio fretus, vestrisque auribus ad audiendum benignissimis confisus, (viri Romani) hunc totius orbis terrarum ornatissimum locum conscendere, & hanc arduam dicendi Prouinciā suscipere ausus sum, cum præsertim ea sit (Illustrissime, ac Reuerendissime Cardinalis Protector Vigilantissime, Generalis Præfecte Relligiosissime) singularis vestra benignitas, vt licet admirabilis me terreat amplitudo, incredibilis tamen inuitet humanitas.

Excelsam autem Imperij Romani sedem & antiquissimam, & nobilissimam esse qui ambigit, cum profectò non huius orbis incolā non hominē sed ex intimis terræ penetralibus amentissimā belluam, feram agrestem & inhumanā, nuper prodijsse fatendum est; anno etenim post Ilium captum quadringentesimo & trigesimo, qui primus erat Septimæ Olimpiadis Annus apud Græcos, dum Charops Æschili filius imperaret

Athæ-

Athænarum Princeps decimus quartus, Romulus à Rhea Syluia ex clarissimo latinorum Troianorumq; sanguine, & à Marte Bellorum præside Inuictissimo genitus, vnà cum fratre Remo huius vrbis & Imperij conditor nobilissimus, & antiquissimus fuit, & quamquã siculi omnium primi, & Aborigines ex Arcadia hùc profecti, & Pelasgi ex Thessalia profugi, & Arcades ex vrbe Palantio exeuntes, & Pelopponenses ab Hercule bello expulsi ex Elide huc aduentantes in his, vbi nunc Roma est, regionibus, ante bellum Troianum permansere, mœnia tamen Vrbis & Remus & Romulus fratres post Dardanæ gentis excidium vndecimo kal. Maias posuere; qui Gemini, vter in extructo solio resideret, sacra adhibuerunt piacula; cumque, Remus sex tantum vultures, Romulus verò duodecim conspexisset, hic fœlicius augurium nactus, firmiora ad nouæ Vrbis tutelam, posuit valla, & Remo extincto oppidum à se Romulo, Romam nuncupauit, ò fœlicem Romanorum Regem, ò Relligiosissimum sacerdotem Romulum, qui vt ab ipsis extructæ sedis exordijs, certissimum huius Vrbis Relligionis augurium præmonstraret, sacra Deo primò instituit, mox iura legum optima sanxit, regio se cinxit diademate, circa se Lictores, centumq; Senatores creauit, Asylum fecit & se primùm Romanorum Regem constituit; hinc (Deo auspice) quàm multis erutis oppidis quam plurimis insidiantibus populis debellatis, nonnullis regibus deuictis & obtruncatis, de Cęninensibus primùm, & Antenatibus triumphum agens, mox de Camerinis, ac demum de Fidenatibus & Veientibus opima Regis Achronis spolia, in augustissimum vestrum Capitolium, ad Quercum pastoribus sacrã suspendit; & quid? si dixerimus (optimi Patres) Relligiosissimum Romulum ter honorifice triumphasse, semelq; Ioui feretrio templo extructo, sacrificia obtulisse, vt trium diuinarum personarum, Patris, filij, & spiritus sancti in vna natura nobis, (& si latenter) pręmonstrator esset? quandoquidem postquàm triginta, & septem annos regnasset, repentinis imbribus, lumine solis, ob miram pietatem, adempto, fortasse ad sydera elatus, nusquã apparuit; ò beatissimum antiquissimum, nobilissimum Romulum, ò vos nobilissimos, antiquissimos, beatissimos viros Romanos, qui tantam Patriæ claritatem, qui tantam generis nobilitatem adepti estis, hæc Vrbis vestrę

celsi-

celfitudinis, ac Maiestatis exordia, hinc aureæ coronæ refulgent, hinc regia diademata splendent; hæc profectò & si magna,& præclara sunt,multò tamen maiora & præclariora, sex alij, qui Romulum subsequuti sunt, grauissimi Reges, effecerunt, Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Martius, Tarquinius Priscus,Seruius Tullus,& Tarquinius Superbus, qui singuli Duces acerrimi, quibus ornamentis,quibus dignitatis insignibus, vestram hanc Vrbem decorarint, quid ego nunc commemorem? vosmetipsos V.R. quos præclarissimę horum res gestæ, minimè latent tęstes adhibeo; Numa enim Pompilius cum summa, & prudentia & æquitate inter omnes excelleret, placidissima Regnum Romanum tranquillitate gubernans, nullum gessit bellum, sed Relligionis studijs maximè floruit,solemnia sacra perfecit, vniuersam Sacerdotiorum rationem in acto gradus distribuit, in Curiones, Flamines, tribunum celerum, Augures, Vestales, Saliospalatinos, Feciales cum Patre Patrato, & Pontifices: quid non fortiter egit Tullus Hostilius? qui tria grauissimorum bellorum certamina in hostes inferens, ijsq; deuictis ac debellatis, totidem præcinctus Coronis,ternos habuit de Albanis,de Fidenatib⁹, de Sabinis triumphos, taceo egregiã ipsius Anci Martij fortitudinem, qui (instar lucidissimi Solis inter cœlestes altissimorum orbium Planetas) medium inter septem Romanorum Reges, sibi vendicans locum, septem etiam, & illa quidem acerbissima prælia, in efferos ac tumultuantes populos strenuè commisit,in Latinos, in Fidenates, in Volscos, bis in Sabinos, bis in Veientes, de quibus honorifica pompa triumphauit; verùm Tarquinius Priscus nonnè Senatus Romani maiestatē, numero, decoris insignibus, tribusq; Centurijs ampliauit? nõnè latinos subegit? Ætruscos deuicit? & atrocius Sabinos oppressit? quid? Seruius Tullus,nonne mira solertia,ita hanc vestrã ordinauit Vrbem,vt omnia,dignitatis, patrimonij, ætatis, Artiũ,officiorumq; discrimina in tabulis retulisset? nonne cùm per viginti annos,sæuissimè cũ Thuscis dimicasset,adepta demùm victoria, gloriosissimè triumphauit? commemorabo Tarquinium illum superbum postremum Romanorum Regem, qui geminis bellis, Sabinorum opes comminuens, ac Volscos deuincens, geminas etiam ab ipsis hostibus victorias reportauit, aç geminos triumphos? frustrà. V. R. frustrà

niterer,

niterer, tot præclarissima Regum vestrorum facta recensere, tot victorias, tot triumphos, tot Coronas laudibus celebrare, frustrà singularem Tarquinij superbi seueritatem, Seruij Tulli solertiam, Tarquinij Prisci fœlicitatem, Anci Martij fortitudinem, Tulli hostilij fortunam, Numæ Pompilij Religionem, ac propè diuinam Romuli nobilitatem frustrà inquam niterer, Encomijs, ac titulis exornare, qui non dico pares ipsorum meritis essent, sed eorũ partem aliquam adumbrare possent, at illud equidem non prætermittam, sicuti septem illa Cœlestium globorum vagantia sydera, Mundum hunc sublunarem, rutilantissimis irradiant splendoribus, & collustrant, ita & hi septem clarissimi Reges vestram hanc Vrbem. V. R. Augustissimum totius orbis Theatrum, aureis exornant coronis, & quasi lucidissimis stellis, fulgentibus illuminant gemmis; Defecit profectò Regnum vestrum florentissimum anno ab vrbe condita 244. cum miserandam passus esset Eclypsim, (ceu postremum Planetarum Astrum) superbus ille Tarquinius, Rex Romanorũ postremus, qui à Sex: Tarquinio, ob dedecus stupri, castissimæ Lucretiæ illati, laudabili ipsius Iunij Bruti opera, Regno expulsus exulatum fuge perrexit; verum iucundissimæ libertatis cupiditate. P. R. incensus, Regnum tunc in plurium dominatum commutauit, & Consules, lucium scilicet Iunium Brutum, & Lucium Tarquinium Collatinum, pro Regibus appellauit, mox Dictatores constituit, Tribunos Plebis, Decemuiros, Censores Tribunos militares Prætores, ac Ædiles Curules: sub quorum Magistratuũ, fœlici administratione, dicite quæso (Aud. Præstantiss.) quot bella hostibus indicta, Populus Rom. strenuissimè perfecit? quot oppida deuastauit? quot ciuitates cępit? quot Prouincias in Reip. ditionem conquisitas subegit? quot Regiones acerbissimo conflictu deuicit? quot Regna deleuit? quot indeditionem accepit? gens strenua, àc bellicosa, viri accerrimi, Romani fortissimi tot confregerũt Exercitus, tot militũ millia obtruncarũt, tot efferas nationes confoderũt, tot fugarunt potentissimos Reges, tot Armatas Nauiũ classes demerserũt, tot spolia cruẽta retulerũt, tot deniq; triũphos spectabili põpa ab hostibus reportarunt, ab Ætruscis, à Sabinis, à latinis, à Volscis, ab Hernicis, à Veietibus, ab Æquis (à Faliscis) à Fidenatib⁹, à Gallis, à Prænestinis, à Tiburtib⁹, ab Anciatibus,

 à Sa-

à Satricanis, ab Auruacis, à Samnitibus, à Calenis, à Lucanis & ab alijs ferè innumeris Italiæ populis, quos singulos libentissimè recenserem, nisi & Romæ, & apud Romanos orationem haberem: Iam verò post annum 472. quo bellum Tarentinum & Regis Pyrrhi, acriter susceptum fuit, optima illa Respublica, ex tribus rerum publicarum generibus iuncta Regio, optimatum, populari, vsq; ad tertium bellum punicum, summa Vrbis vestræ cum laude, hic micantissime floruit, quam publius Affricanus Æmilianus, ita prudenter administrauit, vt in ea consules regiàm, Senatores Optimatum, Plebs popularem auctoritatem haberet; in quo sane temporis spacio, cum nulla nobilium dissensio in Rep. facta esset, quinque potentissimi Reges superati fuere, Pyrrhus, Philippus, Perseus, Andriscus, & Antiocus, tria punica bella, pro Mamertinis, pro Saguntinis, pro Massanissa Numidiæ Rege, fortiter indicta, suscepta, & confecta, Sex acquisitæ Prouinciæ Sicilia, Sardinia, Hyspania, Illyricum, Macedonia, & Gręcia, longum profectò, ac perdifficile explicatu esset. V. R. quot hominum millia, dum hæc optima floreret Resp. gens vestra captiua adduxerit, quot millia militum interfecerit, quot præclara, ac memorabilia fecerit, quot sanctissimæ leges fuerint promulgatæ, quot boni Ciues, quot egregij Consules; quot Senatores Amplissimi, quot acerrimi Duces, quot viri, omni virtutum genere exornati viguerint, quot Relligionem coluerint, quàm iustè, quàm prudenter, quàm fortiter, quàm temperatè, in hac florentissima Rep. singuli vixerint; non mihi linguæ centum, non ora centum, non ferrea vox sufficeret; ò præclaras, egregias & admirandas Romanorum virtutes, hinc Relligio, hinc pietas, hinc pudicitia, hinc continentia, hinc Iustitia, hinc denique fortitudo, & fides ortæ sunt & auctæ.

Miror equidem Metelli Pontificis, ac Tiberij Gracchi Relligionem.

Curtij & Bruti primi Consulis pietatem; Virginij, ac Fabij Maximi pudicitiam.

Bruti Germanici, ac Marci Catonis continentiam.

Lucij Syllæ, ac Lucij Crassi Iustitiam.

Horatij Coclitis, ac Scipionis Æmiliani incredibilem fortitudinem.

Totius

Totius deniq; Senatus, ac populi Rom. fidem.

Neque silentio præterire possum, quot ea tempestate, viri Romani doctrinis, atq; optimarum artium studijs eruditissimi fuerint, vt Seruius Sulpitius iuris ciuilis disciplinam maximè callens, vt C. Sulpitius, qui in Astrologia, ac diuturna sydcrum obseruatione ita excelluit, vt Caldæos ipsos superarit, vt Sex: Pompeius in Geometria, vt M. Varro in historijs, ac in rerum veterum, locorum, temporum, rerum gestarum, omnium sęculorum memoria posteris relinquenda, vt demum in Oratoria facultate Hortensius, Crassus, Antonius, ac omnium Rethorum præclarissimus M. Tullius, fulgentissimum Romæ ornamentum, ac eloquentiæ limen, lumen, flumen, fulmen.

At quid admirabilius dici potest? his clarissimis viris, postremo accedunt tot castissimę Virgines, tot pudicę mulieres, tot prudentissimæ, ac probatissimæ fœminæ, vt Virgo Emilia, Lucretia, Claudia virgo vestalis, Cæcilia Metelli, Porcia Catonis filia, Sempronia, Cornelia Gracchorum mater, Antonia, Iulia C. Cęsaris filia, Amesia, Affrania, & Hortensia, quæ innumeris decoratę virtutibus, Relligione, pudicitia, castitate, fortitudine, constantia, & pietate, nitidissimis vestram hanc Vrbem splendoribus illustrarunt, & summis laudibus ad Cœlum extulerunt: ò rem pulchram & admirandam, quid laudabilius? quid honestius? quid sanctius hac optima Rep. excogitaui poterat?

His virtutibus, (ita viuam) gens Romana ad tantum honoris, & gloriæ gradum conscendit, vt nedum regio diademate, nedum Clarissima Consulum dignitate contenta, ad excelsam Imperatoriam maiestatem, anno post Vrbem cõditam 710. gloriosè peruenerit: Hic est tertius (V. R.) ac præstantissimus Vrbis vestræ principatus, hæc tertia & suprema Monarchia; In cuius celsissimo solio rebus compositis omnibusq; Ciuilibus bellis acriter confectis C. Iulius, & octauianus, Cęsares omnium primi honorificè residerunt, ac in dies (ętatibus succedentibus) singuli Principes Augusti, ac Romani Imperatores splendidissimè resident, quos ad peremnem & immortalem nominis vestri gloriam, aut Romanos fore, aut à Principe huius Vrbis sanctissimo confirmari & Romani Cæsaris nominè appellari oportet: vtinam verba non deessent,

lent,quibus pro dignitate omnia, quæ de his vestris Augustissimis Imperatoribus,mihi dicenda cumulatim occurrunt,explicare possem, sed desunt; profectò desunt nam quis tantæ eloquentia? floreat cuius sanè tanta ingenij præstantia? cuius tam admirabilis dicendi facultas, aut demum grauitas sit,qui pelagus hoc ingressus, exitum omnino non desperet?

Roma totius Orbis terrarum (his Strenuissimis Principibus imperantibus) domina facta est, & Regina: ita vt præter Italiam, quæ intrà annos quingentos, tota eius Imperio subacta est quindecim etiam complecteretur prouintias Siciliam, Sardiniam, Galliam Cisalpinam Galliam transalpinam, Hyspaniam citeriorem Hyspaniam vlteriorem: Illyricum, Africam, Macedoniam, Asiam, Pontum, Ciliciam, Siriam, Cretam, & Cyprum; immò verò à Septentrione Danubium, & trans Danubium Daciam, & ab Oriente Euphratem,& trans Euphratem Armeniam, Mesopotamiam, Asiriam, vsque ad Tigridem, comunem Imperij Romani ac Persarum limitem perpetuo dominatu præmeret, ò singularem Vrbis vestræ amplitudinem, ò virtutẽ Cæsarum admirandam,ò incredibilem, immò verò,ò credibilem Romanorũ potentiam,hinc aureę coronæ refulgent,gemmatæ,Ciuicæ, Triumphales,hinc lęta trophæa, hinc alti Colossi, hinc celsæ Pyramides, hinc gloriosi triumphi, hinc præclaræ Victoriæ, quibus tot Regna, tot Regiones, (dicam vno verbo) totus terrarum ambitus pacatus fuit; Miramini Auditores? ipsam audite veritatem, exijt edictum à Cæsare Augusto vt describeretur vniuersus orbis: ò magnos Augustos, ò Principes fortissimos, ò pios, ò fœlices Imperatores Romanos perpetuo honore colendos, ęterna obseruantia venerandos, quorum imperio & quid plura? ipsamet sacratissima Saluatoris nostri Mater voluit esse subiecta, immò, (ò excelsam Romanorum maiestatem) ipse Christus vnigenitus Dei filius ipsis parere ac obedire voluit, qui omnia (quæ ipsorum Cæsarum essent) ijsdem reddi clarissimè iussit, cum inquit, reddite quæ sunt Cæsaris Cęsari.

Et quid aliud (V. R.) de Vrbis vestræ fœlicitate, deque eius Imperij excelsitate dici potest, quàm æternum clementissimum Deum incredibili semper amore Romam complexum esse,omniaque in eam & bona, & pulchra & fœlicia contulisse? ò summa Dei benignitas, ò singularis clementia, ò infi-

infinitâ Charitas, ò Deus, ò Deus, immortales tibi (Populi Romani nomine) gratias ago qui Vrbem hanc vetustissimam, quò fœlicior àc præstantior ad supernam accederet amplitudinem adeò illustrasti, vt supernum, ac cœlestem hominem, immò Deum & hominem ipsius Imperio [illegible] ris, qui & humilitate altissima & voluntaria àc [illegible] seruitute, nòn modò excelsam Imperij Romani maiestatem amplificauit, verùm etiam, sacratissima Relligionis sanctitate illud decorauit. Præclara profectò & illustris radiantibus semper enituit splendoribus Vrbs vestra V. R. at postquàm à summo illo oriente ortus est sol Iustitię fulgentissimus, eò præclarior facta est, & illustrior, quò æterna momentaneis, cœlestia terrenis, Pontifices Regibus, Cardinales Consulibus Ecclesia Imperio, Christus Romulo præstantior est ac nobilior.

Romulus ex regio quidem, sed Idolatræ Numitoris sanguine ortum duxit, at Christus ex Regia sanctissimi Dauidis stirpe originem habuit.

Romulus ex Rhea Vestali Virgine, sed corrupta & impudica ortus est, at Christus ex Maria Virgine intacta, & verecunda natus.

Romulus ex Patre genitus est Marte Deo ficto ac simulato. At Christus est Deus verus, de Deo vero.

Romulus mira pietate à pastoribus est enutritus, at Christus omni honore ac reuerentia à Pastoribus est adoratus.

Romulus adhùc infans ab Amulio ne sibi Regnum eriperetur, bestijs deuorandus expositus fuit.

At Christus qui non eripit mortalia, vix ferè natus dirè ab Herode afflictus.

Romulus huius Vrbis, quò ad excelsam imperij maiestatem conditor fuit; At Christus quò ad cęlestem Relligionis sanctitatem.

Romulus ex fœlici duodecim vulturum auspicio se primũ Romanorum Regem constituit: At Christus ex beato duodecim Apostolorum selecto Collegio se Mundi Principem & Ecclesiæ caput declarauit.

Romulus vt solus Imperaret fratrem Remum interfecit, At Christus Dęmonem Mundo imperantem interemit.

Romulus quadratis mœnibus hominumque pręsidio Ro-

mam

mam obuallauit, At Christus diuinis virtutibus, & Angelorum custodia illam firmissimè stipauit.

Romulus centum senatores creauit, At Christus, septuaginta duos immò centum àc mille discipulos elegit.

Romulus leges optimas sanxit; At Christus sacratissimum promulgauit Euangelium.

Romulus primus Romanorum sacerdos sacra Deo prophana instituit; At Christus sacerdos in æternum salutaria sacramenta reliquit.

Romulus Asylum extruxit. At Christus Cœlum ipsum aperuit.

Romulus semel Deo Germani fratris sanguinem in hostiã ac sacrificium obtulit; At Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta.

Romulus quinq; infestissimis debellatis populis Cęninensibus, Antenatibus, Camerinis, Fidenatibus, & Veientibus ternum Romę egit triumphum, at Christus totidem efferis, & cruentissimis hostibus obtruncatis morte, peccato Mundo, Carne, ac Dæmone ternos etiam apud Cęlicolas, apud homines, apud Inferos reportauit triumphos.

Romulus tandem ceù purus homo fortassè ad sydera elatus nusquàm apparuit; At Christus videntibus Discipulis ad celsissimum ęterni Patris solium est eleuatus Deus & homo, homo & Deus.

O Christe, ò Romule, ò Romule, ò Christe, Christus (V. R.) Vrbem vestram Regnis cęlestibus inserendam multò nobilius, multoq; fœlicius condidit, quàm acerrimus Romulus, qui prima mœnium iecit fundamenta, ipse etenim Christus, teterrimi Sathanæ viribus confractis, clauso Orco, Morte deuicta, peccato expulso, carne obstricta, Mundo depresso, reserato Olympo, & Deo ipso pacato, triumphali pungentium Spinarum decoratus corona, sibi Romam speciosissimam sponsam in ligno Crucis elegit, ac proprio sanguine fundauit Ecclesiam, ipse fundauit eam Altissimus, ipse lapis Angularis, & petra, ipse fundator, & fundamentum, ipse Romam, ad hanc extulit dignitatẽ, & gloriã, vt sit gens sancta, Populus electus, Ciuitas sacerdotalis & Regia, quæ licet multis aucta victorijs multis hostium spolijs onusta, multis sceptris insi-

insignita, ius Imperij sui terra, mariq; protulerit, latius tamen psidet Relligione diuina quàm principatu terreno imperabat sanè Vrbs vestra, vniuerso terrarum Orbi, at postquàm de Cçlo benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei apparuit, nō solum terrarum domina, sed tartareę Sedis etiam, ac ipsius Cęli Regina euasit, suo profectò principatu singulos premebat gentium populos, at post iucundissimum Christi aduentum Dæmones etiam cogit, Angelos excitat, Deum ipsum lenit, ac mulcet.

Dies V. R. deficiet me, si voluero omnia persequi, nihil enim non modò humile nunc, aut vile, sed ne mortale quidem aut caducum in cogitationem cadit, omnia præclara, omnia cœlestia, omnia diuina sunt, quæ nunc mente concipio, audite. Deus opt. Max. Regnum Romanum sua infinita prouidentia præparauit vt illinc inenarrabilis suæ gratię per totum mundum diffunderetur effectus. Quamobrem clementissimus Christus, cum sibi vult vigilantissimum deligere successorem, non Capharnaum à se ita dilectam, non suam Patriam Nazareth, non Hierusalem Iudeæ metropolim petijt, sed venit (audite) venit Iesus in partes Cæsareę Philippi, ò rem diuinam, ò cęleste arcanum, ò mysterium omni admiratione dignissimum, venit Iesus Cæsaream, quæ sola inter innumeras Imperij Romani Ciuitates, Imperatoris Cæsaris nomen habebat, vt Romam celsissimam Cæsarum sedem, se venisse ostenderet, ibi suum instituit Vicarium, ibi Petrum suum eligit successorem, ibi dat illi ceù alteri Ianò claues Regni cęlestis, ibi Ecclesiæ caput illum declarat, fundamentum, Pastorem, Pontificem, dicam etiam Regem Cęsarum, Romæ, àc totius orbis terrarum; audite (V. R.) gloriam vestram, dedit ei potestatem, honorem, & Regnum, omnes populi, tribus, & linguæ seruient ei; & quid altius? quid admirabilius? quid diuinius dici potest? Et ego (inquit lux ipsa veritatis) ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam: ò vos fœlices, ò vos Beati Romani, olim terrarum & hominum Principes, nunc Inferorum, Cęli, Angelorum Principes facti estis, & Reges: Ad hanc ergò Vrbem vestram Beatissimus Apostolus Petrus post susceptam per spiritum sanctum omnium loquutionem linquarum venire properat, &

Asia

Asia relicta, Bithinia, Ponto, Galacia, Cappadocia, potentissimam Syriæ Ciuitatem Anthiochiam, post assiduos ac diuturnos labores, fœlicissimus ille Senex peruenit, quæ omnium gentium prima, sua immortali àc sempiterna gloria, suauissimum super mel & fauum Iesu Christi nomen publicè ausa est efferre àc celebrare, ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ Discipuli Christiani; Gaude, & lætare Vrbs Roma, quòd Princeps Apostolorum Petrus, & si plurimis beneficijs, muneribus, ac liberalitatibus in vniuersum Christi gregem collatis, ab illa relligiosissima Ciuitate astrictus alliciebatur, ea tamen quoq; deserta, nauim prospero cursu conscendit, & Numantiam, Carthaginem, Syracusas, ac prætiosissimos pulcherrimæ Neapolis hortos præteriens, ad arenosum Tibridem tuum plenissimis velis aduectus, te solam, Roma, delegit, tuos viridissimos Colles, tuum aerem temperatum, tuas dulcissimas aquas; verùm non illustre Imperium tuum, non tuum pręclarum Capitolium, non tua magnifica ædificia, non perennis oratorum ac poętarum tuorum fama, non tui clarissimi Heroes, non tui fortissimi Duces, non tua grauissima bella, non tuę gloriosæ victoriæ, non iucundissimi tui triumphi, non tuæ deniq; insignes Coronæ, sacratissimum Ecclesiæ Principem Petrum hùc aduocarunt, sed vt tuæ opitularetur indigentiæ, hùc libentissimè aduentauit, vt tuis mederetur infirmitatibus, vt tua execraretur vitia, vt à nepharijs te expiaret erroribus, vt tuos fugaret Dæmones, vt tuas magicas destrueret artes, vt falsa Idola frangeret, vt legem promulgaret Euangelicam vt Christi Crucem plantaret, vt te demum Catholicę Relligionis speculum, veritatis Magistram, omnium virtutum exemplar, ex prophana sanctam, ex impia piam, ex terrena cęlestem, àc diuinam efficeret: exaltent Romani, exaltent Petrũ in Ecclesia Plebis, & in Cathedra seniorum laudent eum, per quem sub quarto Imperij Claudij anno, Christi Euangelium Romæ resplenduit, per quem splendidissimum Crucis trophæum romanis arcibus est affixum, per quem Romæ, vna, sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia, non armis, non diuitijs, sed paupertate, sed Relligione, firmissimè àc immobiliter fundata fuit, Capitoli immobile saxũ, & super hanc petrã ędificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non pręualebunt aduersus eam: Acerbissima quidem morte à dira Neronis crudelitate

delitate beatiſsimus ille Senex affectus fuit,at non petra,nō petri cathedra, nō Chriſti Eccleſia diruta vnquàm corruit, quā nec immaniſsimi Tyranni, nec perfidi Hæretici,nec ipſi teterrimi Dęmones concutere, aut proſternere potuerunt, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam;quid egerunt tot crudeliſsimi Imperatores,Nero,Domitianus, Aurelianus, Diocletianus,Maximianus,Iulianus, Henricus, Fridericus? quid tot iniquiſsimi Hęreſiarcæ? Simon Magus, Sabellus,Arrius, Macedonius,Noętus,Hermogenes,Vrſacius, Maximinus? qd egerunt,quid egerunt? afflixerunt ſanè,agitauerunt Eccleſiā Dei,ſed non profligarunt,ſed non depreſſerunt, & portæ Inferi non præualebunt aduerſus eam, non præualuerunt in illam ſanctam,ac triumphantem Ciuitatem Dæmones contra Angelos,nec præualebunt Hæretici in hanc militantē contra Chriſti Vicarios,contra Romanos Pontifices: Romulus (V. R.) ex fęliciſsimo duodecim vulturum auſpicio Romam cōdidit, Vultures apud Ægiptios ſęculorū, ac diuturnitatis Hieroglifica ſunt & indicia, audite His ego nec metas rerum,nec tempora pono,imperium ſine fine dedi: Chriſtus (optim. Patres) ex prætioſis illis duodecim Apoſtolorum ſelectis lapidibus, fundauit Eccleſiā, lapis apud Aruſpices Romanos Hieroglificum firmitatis,àc perpetuitatis eſt, & Regni eius nō erit finis; Duodenarius numerus (Præſtantiſsimi Aud.) apud Arithmeticos perfectiſsimus eſt,immò ſuperexcedēs,ac nullo pacto deficiens, audite, ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua,& exauditus eſt (inquit Apoſtolus) pro ſua reuerentia.

Adhuc etenim (V. R) Florentiſsima viget Eccleſia, Sancta Dei,magiſtra fidei,mater fideliū, domitrix Hæreſum,Hæreticorum flagellum. Adhùc Apoſtolica ſedes celſiſsima manet in qua (poſt ducētos octo & triginta Pōtifices Maximos quorum ferè centum hoc eſt ſeptem,& nonaginta (ò immortalem ac ſempiternam Vrbis veſtræ gloriam) hìc nati ſunt: hìc lacte nutriti,hìc ſanctiſsimis moribus educati, hìc Dei cultu & Religione illuſtrati) beatiſsimus Papa Gregorius. XIII. nunc micantiſsimè reſidet, qui verè Gregorius Vigilantiſsimus Paſtor (inſtar Argicentoculi) ſuper Chriſti gregem die noctuq; vigilans ſuos agnos & oues,paſcuis fęcundis enutrit,lupos efferos,& ouium raptores ab ouili ſacro propulſat, implacabili eos perſequitur odio,qui fidem catholicam labefactare conantur,

tur, clauum in Ecclesiæ naui placidissima gubernat tranquilli tate, horribiles Hæreticorum procellas contundit, fluctus ac sæuas Turcarum tempestates confringit, Catholicæ Relligioni propagandę maximè studet, miram in Christiana Rep. pacē conseruat, auget amplificat, vitam degit, fide, spe, & Charitate fulgentem, diuinis Christi præceptis illustratam, omnibus virtutibus exornatam, & altissima sui serpentis Alati prudentia, super Etheramentę & animo volitans, ad Angelos, ad Deum ascendit, ipsum mira pietate colit, ipsum pro se & pro ouibus suis omni humilitate adorat, obsecrat, veneratur.

Vtinam parem eximiis ipsius meritis vim dicendi reperirē, vtinam vocem ita claram, & canoram emitterem, vt eius sonū ad Vaticanum vsq; perueniētem ipsius Beatissimi Senis aures reciperent, ipsum his laudibus, his concentibus, his encomijs Seruitanę Relligionis nomine consalutarem, Tu Pontifex Romanus, tu sanctissimus, tu Beatissimus, tu Pater Patrum, tu Princeps Episcoporum, tu caput Ecclesiæ, tu Pastor totius Gregis Christiani, primus vt Abel, Gubernator Generalis vt Noe, Patriarcha vt Abraham, Sacerdos vt Melchisedech, Dux vt Moyses, Iudex vt Samuel, Episcopus vt Petrus, Magister vt Christus, te Deus Opt. Max. te fœlicissimum Gregorium, te Pastorem vigilantissimum, gloria & honore coronauit in terris, & coronabit in Cælo qui promisit coronā vigilantibus.

Hæ V. R.: glorię, hi splendores, hę dignitates, hęc ornamenta, quibus Clementissimus Deus Vrbem hanc vestram, & nobilissimam, & sanctissimam exornauit, non pulcherrimus ipsius Vrbis situs, non tutissima męnia, non munitissimę Arces, non Turres eminentissimę, non columnæ marmoreæ, non arcus lapidei, non excelsæ Pyramides, non antiquissimæ statuæ, non diuinum Capitolium, non amplissimæ plateæ, non viæ cōspicuo ordine stratę, non altissima ædificia, non egregia palatia, non Augustissima Templa, non præstantissimæ domus, nō tot Illustrissimæ familiæ, non generosę virorum ac mulierum formæ, non grauitas oris & decus, non maiestas in vultu, non florentissimum optimarum artium Gymnasium, non insigne ingenij specimen, nō tot viri omni virtutū genere & grauitate fulgentes, nō tot sacri Theologi, non tot Platones & Peripatetici, nō tot Apollines, non tot Solones, non tot Homeri, nō tot Cicerones, non tot fortissimi Milites, nō tot acerrimi Duces,

non tot

non tot Inuictissimi Imperatores, non tot Annibales, non tot Scipiones, non tot Fabij, non tot Fabritij, non tot amęni profpectus, non tot Hortorum decora, nō viridissimi colles, non summa agrorum fęrtilitas, non dulcissimi fontes, non Romuleus Tybris, non maxima aeris salubritas, nō benigni Astrorū aspectus, non demū placidissima Cœli temperies, quibus omnibus, & externis & internis, & corporis & animi, & artis & Naturę bonis vos Deus opt. Max. ob miram sui clementiam, qua præ cęteris totius orbis terrarum Ciuitatibus, Romam di lexit, maxima cumulauit mensura, nequaquā nequaquàm (V. R.) sed hæc illa duo sunt Vrbis vestrę pręclarissima ornamenta, excelsa Imperij vestri maiestas, & cęlestis Relligionis vestrę sanctitas; hęc sunt illa duo radiantissima lumina, immò luminaria magna, quibus æternus opifex Deus (instar Cęli stelliferi) te Romam Cęlum terrenum & terram cęlestem decorare voluit, luminare maius in principatum diei, & hoc est Ecclesia, & luminare minus inprincipatum Noctis, & hoc est Imperium.

O Terrarum ac Cœli Regina, ò Serenissima Imperatrix ò Augustissima Roma, ò Roma, ò Roma, per te singulæ Ciuitates resplendent, per te singula Regna lucent, per te totus orbis terrarū fulgentissimè micat, tot Apostolis, tot Imperatoribus, tot Pōtificibus, tot Regibus, tot Cardinalibus, tot Consulibus, tot Episcopis, tot Senatorib⁹, tot sacris Doctoribus, tot sapiētibus viris, tot martyribus, tot militibus, tot sacris virginibus, tot pudicis mulierib⁹, tot Crucibus, tot Trophęis, tot spinis, tot coronis, tot angustijs, tot triūphis, tot lachrimis, tot gaudijs, tot sanguinibus, tot diuitijs, Ecclesia Imperio, Christo demū àc Romulo, ò Roma gloriosa, dicta sunt, & adhùc dicenda essent de te Ciuitas Dei, Ciuitas Sancta, ciuitas cęlestis, at pro dignitate illa celebrare, maius profectò est, quàm vt viribus meis, id adsequi possim; oceanū n. (V. R.) vrna clauderē, innumeras Cęli Stellas enumerarem, si pręclarissimas Vrbis vestræ laudes singulas recensere sperarem. Quamobrem satius esse reor, vt in portum se referat oratio nostra, età me vobis omnibus, qui vestra singulari benignitate tanta audiendi attentione me superastis, gratię immortales agantur, sicuti & tota seruorum Relligio, de tot vestris excellentibus bonis, de tot pręclaris, & innumerabilibus vestris ornamentis, per me vobis mirificè gratulatur, huic Sanctissimæ & Apostolicæ Se

di

di omnem obedientiam pollicetur,& pręſtat,ipſius Beatiſsimi Domini Noſtri pedes perhumiliter oſculatur, àc Illuſtriſsimis Principibus veſtris, toti ſenatui, populoq; Romano pro tot eximiis in ſe collatis beneficijs omnia proſpera, & fauſta à Deo opt. Max. precatur, cui & nos quoq; plurimum debere fatemur,de cuius clementiſsima Charitate, & ſi nobis Luciferus occidit fulgentiſsimus Alexander Farneſius, radiantiſsimus tamen nobis Heſper affulſit Iulius Antonius Sanctorius; & ſi lucidiſsimus Pollux Iacobus Tauanthius Florentinus ſuæ adminiſtrationis diem obiit,ſuę tamen immortalitatis, caſtorē fratrem Aurelium Menochium Bononienſem,participem habuit: illi inter Romana lumina,ita Romæ, reſplendent,vt clariſsimis luminibus, lucem addere videantur: Iſti in ſeruitana Rep. ita refulgent,vt omni ſplendore,omniq; claritate ſint circumfuſi,illi nobilitate àc ſanctitate ſunt fulgentiſsimi, iſti Dei timore àc probitate redundantes; illi piè àc ſtrenuiſsimè hanc noſtram ſanctiſsimam Relligionem,& protexerunt, & protegunt,iſti prudenter, àc integerrimè eam, & rexerunt, & regunt; illi demum immortali honore, ſempiternaque gloria digniſsimi ſunt, iſti omni triumpho omniq; laude vbiq; locorum mirificè celebrandi.

Vellem equidem (V. R.) cor geminum habere, veluti paphlagoniæ Perdices,geminas facies ſicuti Ianus bifrons, àc totidem linguas inſtar Aquilę Imperialis, vt vberius, clarius, & ardentius, hanc veſtram nobiliſsimam Vrbem,hęc duo Apoſtolicę Sedis fulgentiſsima lumina, hos pręclariſsimos Relligionis noſtrę Antiſtites,& celebrare, & intueri, & venerari poſſem; At illud ſufficiat (Aud. pręſtantiſsimi) me dixiſſe Ampliſsimos Seruitanę Reip. Pręſides, me dixiſſe Illuſtriſsimos. S.R.E. Cardinales, me dixiſſe Romam.

DIXI.

Cum Licentia Superiorum.

MC